DOCTRINAS POLITICAS IN ACADEMIIS MAXIME BELGICIS ESSE DOCENDAS:

ORATIO

HENRICI GUILIELMI TYDEMAN,

JCTI ET ANTECESSORIS, RECTORIS UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVAE;

HABITA D. 9 FEBRUARII MDCCCXXV.

IN HONORE DOCTORATUS JURIS ROMANI ET HODIERNI,
SAECULARIBUS ACADEMIAE CONCELEBRANDIS,
DUOBUS EGREGIIS JUVENIBUS
MORE MAJORUM CONFERENDO.

„ L'AUTEL À LA BASE, LE TRÔNE AU SOMMET, LES LIBERTÉS PUBLIQUES ENTRE L'AUTEL ET LE TRÔNE, TEL EST LE SYSTÈME POLITIQUE DE L'AUTEUR. IL EST DE PLUS EN PLUS CONVAINCU QU'IL N'Y A POINT DE SALUT HORS DE CE SYSTÈME, ET QUE QUICONQUE ATTAQUE UN DE CES TROIS PRINCIPES, LA RELIGION, LA ROYAUTÉ ET LA LIBERTÉ, SAPE LES FONDEMENS DE L'ÉTAT."

DE CHATEAUBRIAND. 1825.

ACADEMIAE CURATORES — PROFESSORES — MAGISTRATUS URBIS — JUDICES — ALIIQUE LOCO VEL IN REPUBLICA, VEL IN ECCLESIA, VEL IN LITERIS CONSPICUI — DOCTRINARUM ET ARTIUM STUDIOSI JUVENES — AUDITORES OMNIUM ORDINUM EXOPTATISSIMI!

Quinquagesimo hujus Academiae lustro hesternâ die rite condito, sed in eadem solennitate Academiae Rector proclamatus, quum nunc, ex ipsâ festorum horum ratione, mox Orator ad Vos prodire, et verbis publice faciendis Magistratum meum et ipsum novi temporis cursum inchoâre et velut inaugurare debeam, Vos omnes, Auditores honoratissimi! linguis animisque habebo faventes, quum Divinam providentiam, quae hanc Literarum universitatem hac in urbe fundavit, et perpetuo sustinuit et ornavit, supplex veneratus, vota vestrorum quidem animorum omnium proferens, et patriam populumque Belgam, et augustum Regem regiamque stirpem, et Academiam nostram, et Urbem Academiae sedem, et — si hoc addere liceat, quod omittere non licet — me magistratumque meum, eidem Summi Numinis favori, gratiae, tutelae consecro et commendo: ut continuatis, conjunctisque studiis laboribusque nostris hujus Academiae et aliarum, nostrae Palladis sororum, per viros ex disciplinâ nostra prodeuntes, et res omnis publica Belgii cum hac regiâ gente, et Ecclesia verè Christiana, et bona quaevis et ingenua studia floreant et perennent; — ut Leidensis Academia,

Curatoribus tam strenuis et literatis, Magistratu Civitatis tam amico atque liberali — nec addere dubito, tali Professorum Ordine talibusque discipulis, perpetuò gaudeat et exsultet!

Talibus, inquam, discipulis; — cujus effati quaenam probatio plenior, et quod omnino hujus novae, quam nunc inchoamus aetatis faustius omen accidere possit, quam septem hi praeclari juvenes, Vobis et velut universâ patriâ coram, summis vel in Theologiâ, vel in Jure Romano atque Hodierno, in Medicinâ, Literarumve Humanitate honoribus, hoc ipso mox actu solenniter et more Majorum decorandi. Fuissent alii, si paucos ante menses, fuissent iterum alii si paulo fortasse serius haec sacra nostra celebranda fuissent. Imo nunc etiam, et in iisdem classibus, et in quintâ studiorum classe, complures sunt qui eodem honore digni censeantur.

Laetus igitur laetitia vestrâ et hujus Academiae — ipse recenti et gravissimo vulnere saucius — at omnino lubens ad illa quae in hac solennitate mihi peragenda sunt accedo, facilesque vestras, vel certè non refragrantes aures flagito, Promotoris sive jure sive officio paucis Vobis expositurus argumentum, ab illis quidem disciplinae nostrae partibus petitum, quas ipse, vel spontè animoque meo, vel quoniam nemini possunt obtrudi, suscepi docendas; at ejusmodi, ut cum ipsis Academiae solennibus conjunctum, et praeterea videatur opportunum, et pertineat ad vos omnes, qui gaudetis esse Belgae. Nimirum, *doctrinas politicas in Academiis maxime Belgicis esse docendas.*

Plerique fortasse vestrum — junioribus quidem exceptis — interfuerunt; quum ante hos duodecim annos, proprii qualiscunque regni Hollandici nomine et imagine exstinctâ, nobisque, ut imperio Gallico, duroque sceptro suo plane subessemus, a Napoleonte subactis, conservata haec Academia Lugduno-Batava, sed ab altero hoc Procruste ad Gallicarum suarum Aca-

de-

demiarum modum partim protracta partim resecta, magnifice, hercle! sed tristi illâ servilis apparatûs pompâ, *installaretur* a BRUGMANSIO, viro magno, meliore fortunâ digno. — Memineritis etiam laetioris, et expiatricis veluti solennitatis, quum, triennio post, excusso sed et plane perfracto Napoleontis jugo, patriâque nostrâ sibi redditâ, quin alterâ sui parte auctâ, et ad scriptam et sane liberalem imperii legem constitutâ, reformata haec Academia hoc ipso in templo inaugurareter a KEMPERO (heu! nobis nuper erepto), redacta quidem ad novam studiorum formam, ab ipso KEMPERO, et D'ESCURYO nostro — quem honoris causa nomino et compello — aliisque praeclaris viris propositam et ab optimo Rege comprobatam jussamque. Hac novâ lege, complura quidem, quae a Gallis recte cogitata videbantur, servata inque rem nostram versa, plurima pristinae formae reddita, multa verò vel utiliter addita, vel inprimis in contrarium timidi angustique genii Napoleontiacae legis fuerunt conversa. Hoc quidem nuspiam acrius et apertius, quam in studiorum juridicorum formâ modoque constituendo. Quum enim Gallica lex in classe juridicâ nil extra jus civile scriptum sineret doceri, nunc et historicae et philosophicae studii juridici partes pridem nobis usitatae, in integrum, et novâ sanctione munitae, restituebantur non tantum, sed juri quoque Gentium, et Publico, quae in illis erant, complures addebantur aliae doctrinae politicae, quae in Academiis nostrâ aetate per Germaniam et in Imperio Russico pleniore formâ vel institutis vel instauratis, propriam Disciplinarum Politicarum classem sive *facultatem* (quae dicitur) efficere solent. Hac tamen apud nos, eadem, imo majori utilitate; et simul Batavorum illâ prudenti moderatione, classi Juridicae fuerunt adjunctae; ut et futuri Jurisconsulti civitatis suae rationem suumque in civitate locum, et futuri civitatis rectores naturam juris et praesentem ejus formam — neque id quod bonum aut utile videatur, ab eo quod justum est secernere — discant; et simul pristinus ille, qui dudum apud nos, quin et apud Ro-

Romanos haberi solebat nexus confirmaretur, et majore suo jure foret *Advocatorum ordo seminarium dignitatum* (1).

Quae quidem doctrinae partes, illo primo Regis Edicto huic Academiae soli praescriptae, sed anno mox insequente in Lovaniensi, Gandavensi, Leodiensi Academiis itidem doceri jussae, Academiis Rheno-Trajectinae atque Groninganae non tam negatae, quam non impositae fuisse, liberaeque industriae relictae censendae sunt; et partim in iisdem Academiis, et in Athenaeo quoque Amstelodamensi, Academiae nostrae cognato, magna cum laude Professorum et ardore discentium tractantur.

Sed ecce! nuper legitur in ephemeridibus, ALEXANDRUM Russorum Imperatorem, pium, justum, magnanimum, praecipuum Napoleontis impudentius dominantis et libertatem populorum opprimentis eversorem, auctorem Sancti Regum Foederis, de Christo Regum Rege venerando semperque respiciendo — sed nolentem protervâ licentiâ vel democratico spiritu, qui ad anarchiam pronus et Christianae religioni videatur inimicus, legitimos reges et quieta regna turbari et everti — Imperatorem igitur ALEXANDRUM, politica studia in sui Imperii Universitatibus abrogasse nec illa publice jam sinere doceri. — Quae res, quum inter homines politica garrientes, magnosque reges nasutulo suo modulo metientes, sermonibus agitaretur, non defuerunt, qui mihi quoque subinde vel jocose vel etiam serio metum injicere vellent, studiis meis, tam gravi auctoritate et cui resisti non posset damnatis atque proscriptis, vel igitur tacitâ et prudente hujus exempli veneratione, vel praepotentis Imperatoris disertâ mox significandâ voluntate, claudendas scholas illas meas et ad vulgares alias et innocuas Jurisprudentiae partes recessum fore quaerendum. — Quarum quidem ineptiarum pertae-

(1) *Nov. Theod.* (potius *Valentin.* III.) 34. de Postulando. Add. *Proœm. Instit. Justin.* in fine.

taesus, regessi, serio me et publice, sed semel esse responsurum. Cujus praestandi non opportunior nec optatior ullus mihi contingere posset locus, quam quo hac tantâ vestrâ taliquc Auditorum coronâ, defendam atque vindicem: quidquid de Russiâ sit, doctrinas politicas in Academiis Belgicis omnino esse docendas.

Hoc igitur argumentum ad nos omnes, cives Belgas, magnopere pertinere, sponte intelligitis, Auditores! — Et de Russiâ quidem, et non locorum spatio coelique magis plagâ quam aliis rebus omnibus diversâ et fere contrariâ vasti illius imperii absoluteque regnati, popularisque nostri regni Belgici conditione, quae faciat ut et ibi fortasse minus, nec minus tamen apud nos sint docendae doctrinae politicae, parciusque nobis sit reprehendendus Russorum Imperator in suis institutis, neque continuo credendus, vim quoque facere velle nostris — hanc igitur Orationis meae partem, angustis spatii finibus circumscriptus, proferre non potero. Sed nos quod attinet, nostrâ patriaeque plurimum interesse ut porro doceantur et magis magisque apud nos confirmentur et illustrentur doctrinae quae ad rem publicam bene cognoscendam, constituendam et administrandam faciunt, hoc igitur apud Vos non aegre mihi videor esse probaturus.

Etenim, qui sumus Belgae? — Populus liber, qui Arausiaco Principi, ob adsertam quondam per GUILIELMUM illum, hujus auctorem Academiae, patriae libertatem, et innumeras Nassavicae domus Belgicae virtutes, quibus in eâdem salutis Belgicae palladium esse videatur, imperium, certâ lege scriptâ et ab Rege comprobatâ juratâque detulimus; ex quâ, cum in sciscendis legibus, tum in tributis imponendis, non mero Regis arbitrio, sed communi voluntate Delegatorum populi procedatur, et in cunctis paulo majoribus tam juris dicundi, quam publicae rei administrandae collegiis, libero civium suffragio magistratus constituantur. Vicissim Regi Consiliariis opus est, et Provinciarum Praesidibus et innumeris majoris minorisve rei administris,

ab

ab ipso Rege, partim de suâ scientiâ, partim rogatu consilioque primariorum Ministrorum constituendis.

Jam, quid efficiet, horum omnium, quibus in diversis suis partibus credita fuerit res publica, et promtiora et rectiora fore consilia omnemque rerum actum; et inter ipsos qui ab eâdem, et cum his qui ab adversâ parte creëntur consensum faciliorem, suspiciones et dissidia longe minora, sed in dissentientium consiliis aestimandis et fortasse recipiendis animum candidiorem? Nimirum si hi cuncti, liberaliter educati et instructi, dum in Academiae scholis philologicis, philosophicis, et quod quidem per se multum est, juridicis unâ versantur, ipsam quoque rerum civilium doctrinam, a praeclaris diversarum nationum viris dudum excultam et in clarâ luce, procul a despotismo atque servitute, sed procul etiam ab anarchiâ collocatam; cognoverint atque perceperint. Et quidem cognoverint et hauserint illâ aetate, quâ non adeo spes aut metus aut ambitio civilis, sed investigandi retinendique boni, veri, pulcrique studium felices animos tenere, felicia juvenum corda solet implere. Tunc igitur, quum literis et artibus ad alium quemcumque vitae usum cultumque instruuntur illi, quibus res publica privataque civium tractanda fuerit, et illa discant, quibus patriae, civibusque suis olim sint consulturi. Nam privatorum quoque civium negotia non semper sunt cum privatis, sed magnam partem ejusmodi, ut non satis expediantur nisi per Jurisconsultos, qui civitatis ordinem et magistratuum officia, et exactionum publicarum jura formasque legitimas, inter alia Juris civilis praecepta didicerint.

Quid, nonne cives generatim universi, quotquot honestiore loco sunt, quorum sponte conspirante studio efficitur illa vox et opinio et voluntas publica, praecipuum robur Principum et in rebus saepe trepidis et afflictis praesidium certissimum et sacra velut anchora legitimae potestatis — nonne certius et plenius conciliati devotique Principi suo praesentique civitatis condi-

ditioni fuerint, et in his etiam quae secus opinarentur facilius acquiescent, si publicae rei conditionem quaeque illi salutaria sint, et ipsi rectius intelligant, et a magistratibus a se electis, et a Principe ejusque administris, agnosci videant et exerceri?

Quanti sit veras et idoneas notiones habere politicas, quanti constet illis carere, quamvis et alii populi tristissimis didicerint fatis, haut scio tamen an nullius hanc in rem tristior sit experientia, quam nostra Belgarum. — Qui in ipsâ quidem olim Hispanicâ dominatione depellendâ, et per omne deinde tempus liberae, quae dicebatur, Reipublicae, pulcro blandoque, et sane venerando, sed fallace saepius et insidioso *libertatis* nomine commoti et agitati et in transversum fuimus acti. Primum, in eo, ne parerent exteris, sed propriam civitatem efficerent; mox, ut singularum septem foederatarum provinciarum Ordines sive *Status*, suae rei domesticae sibi placeant arbitrio, de re communi consiliis decernant, sumtus non conferant inviti; nunc ut in singulis urbibus paucae familiae Optimates principatum exerceant, de honoribus opibusque publicis in sua commoda statuant, de populo, quem plebem vocant, non ultra solliciti; mox ut exosis hisce tyrannulis repressis, alii quoque cives aliquo numero habeantur: nunc ut in singulis provinciis, oppidis, collegiis multa sint priva praecipua jura quibus praefulgeant aliis aut prosperent, et haec serta tecta serventur; mox, contra, ne sit aliqua cujusquam ordinis, classis aut loci praecellentia, haec omnis aboleatur, et ad unam illam strictam *aequalitatis* normam omnia redigantur — in his omnibus, tam diversis atque contrariis, — testor, vestram A. A.! Historiae patriae cognitionem, plurimorum quidem et experientiam — libertatem velut unice constitutam proclamari, amplecti et mordicus vidimus teneri; diversa sentientes odiis, conviciis, contumeliis exagitari, locoque suo in civitate pelli. — Donec tandem, et malis quidem nostris edocti, sed et rectiore judicio doctrinâque politicâ usi, non in ex-

terrâ regiminis formâ vel specie, sed in eo positam didicimus libertatem politicam, quatenus in gerendâ re publicâ judicii civium honestiorum ratio sit habenda.

Vicissim, dum subinde nostri Proceres, vires tam nostrae civitatis quam aliarum, et crescentes vires aliorum, nostris quidem adhuc intactis, sed dum non pariter augentur, hoc ipso fractis atque superatis — dum haec igitur vel non satis curant et explorant, vel securi sibi blandiuntur, nonne subitò collapsam cum auctoritate suâ, et excidio proximam vidit rem publicam sagax quidem ille subtilisque politicus JANUS WITTIUS, Gallosque in intima Hollandiae suae viscera saevientes (2)? — Nonne frustra deinde multo cum dolore monuit obtestatusque fuit SLINGELANDIUS, sed soporem torporemque excutere non potuit Praepotentibus, scilicet, Dominis, auro gravatis, regnandi voluptate languidis et obesis (3).

Hora non sinit, Auditores! ut exsequar, quae de perversâ quae deinde gentem nostram incessit aemulatione, remediisque malo pejoribus, tunc, eâdem semper ~~politicarum rerum ignorantiâ, tentatio, adnotaveram~~ dicenda; vel, quod de summâ re publicâ dixi, separatim enarrem de praeclaris illis et dudum uberrimis divitiarum fontibus patriaeque praesidiis, quae fuerunt in coloniis Asiaticis, Americanis, Africanis, grandibusque illis sed tandem monstrosis Societatibus, Orientalis quae dicebatur Indiae et Occidentalis (4). —

Nec

(2) Conf. Doct. N. G. VAN KAMPEN, *Verk. Geschied. der Nederl.* II D. bl. 58—60, 63, 65, 67. Clar. SIEGENBEEK, in defensione Jani Wittii p. 6—12; et in Elog. Slingel. mox cit. p. 51, 52. Doct. KRUINING, *Supplem. v. het Aardrijksk. Woordenb.* V. *Antwerpen.*

(3) Doct. VAN KAMPEN, libr. cit. p. 217, 218. et p. 234, sq. Cl. SIEGENBEEK in Elog. Sim. v. Slingelandt, (*Verhand. van de Maatsch. der Nederl. Letterk.* III D. I St.) p. 14, p. 29—42, p. 54—64, et in adnot. ad loca cit.

(4) Dudum ante bellum ab Angliâ Reipubl. Belgicae an. 1780 factum penitus corrupta erat res omnis Societatis Indiae Orientalis et oeconomia, praesertim in Indiâ. Conf. *de Consideratien van den Baron* VAN IM-

Nec invitus etiam abstineo, ne hac in publicâ laetitiâ Vestrâ severius insecter praesentes veteris inscitiae reliquias: dum alii nostrates, in pristinarum factionum luto, jam procul a nobis jacente, haerentes, illic acerbe digladiantur aliosque e longinquo lacessunt, illorum quae jam in rebus nostris curanda et forte cavenda sint securi vel inperiti; sed alii, qui haec sibi curare videantur et vehementer liberales plerique velint videri, doctrinas politicas profitentur et propugnant falsas, dudum explosas et maxime illiberales; neutri divinam illam universi tandem Belgii conjunctionem satis intelligunt, id quod in diversâ regni parte magis displiceat, et sibi quaerendum et illi nituntur imponendum, et sinceram illam fraternam caritatem detrectant, summum et unicum patriae columen regnique fundamentum.

Dolebamus paulisper, in Academiis nostris, noviter et liberaliter constitutis, doceri jussas quidem doctrinas politicas, sed causarum patronis, vel qui ex horum ordine suffragio civium ad magistratus deinde vocentur, relictas posse videri; dum in rerum actu quà magis ad ipsam Regis gubernationem pertinet, empirica fere methodo et prope mechanica juvenes negotiis publicis admoventur et adsuefiunt, et promtam aliquam tandem facultatem acquirunt; sed, paucis erectioris plane indolis exceptis, plerique nescio quid frigidum et illiberale contrahunt et in unâ fere particulâ rerum haerentes universum earum nexum non satis perspiciunt; nostrae tamen disciplinae alumnis optatos et speratos magnae partis studiorum fructus praeripiunt. — Sensit hoc ipse Rex noster augustus, et novâ scriniorum constitutione indoctos operarios ab aliis ad altiora destinatis semovit; ad altiora noluit admitti, nisi qui studiis juridicis, scilicet et politicis, Academicam ope-

IMHOFF, 1741. Edicta Gubern. Gener. J. MOSSEL an. 1753 et sqq. edita ab A. HUYSERS, in Append. libri *Staat der Oostind. Etablissementen*, 1789. (Twee) *Zamenspraken wegens de oorzaken van het bederf der Nederl. O. I. Compagnie*, 1773.

operam rite navassent et Praeceptoribus primum sese probassent. — Hoc itaque facto Rex providus et sapiens, complevit simul illud politicarum doctrinarum in Academiis discendarum institutum, et magno docuit exemplo reque ipsâ professus est, a nostris quidem illis doctrinis se sibi et patriae nihil metuere. Nec est quod dubites, o Patriae Pater! quin fidem in nobis positam sincerâ pietate plenoque officii sensu rependamus. —

Non foret quidem prorsus necessarium A. A. Exoptt.! ut quae res ipsa docet, quae patriae nostrae historia confirmat, auctoritate porro muniam Doctorum similiter opinantium. Non possum tamen, quin breviter adhuc commemorem gravissimam duorum virorum auctoritatem, quos ob eximias utrumque ingenii doctrinaeque animique dotes atque virtutes diligere, colere dudum solebamus et quorum grata sanctaque et mihi semper sed et Vobis omnibus erit memoria; quorum locus in ordine nostro vacuus meos jam oculos lacrymis et animum incredibili dolore perfundit.

At ratio est habenda Vestri temporis facieique hujus solemnitatis, privatoque meo dolori moderandum et imperandum; quum publico propter KEMPERUM luctui per laudatores tanto viro dignos, SIEGENBEKIUM, PALMIUM, SANDIFORTIUM jam satis possit videri factum. Comprimendus igitur est animus, ne laudes incipiat vel fraterni Collegae fidique amici KEMPERI, vel optimi Viri, venerandi parentis mei, cui, in ipso festorum horum apparatu piam animam Deo reddenti (5), ingentes has velut exsequias, funebresque ludos Academia facere mihi videtur. — Quod igitur cum hoc sermonis mei argumento propius est conjunctum, quam ut sileri possit, brevibus nudisque verbis ut referam: hi ambo, quin inter optimos, et Principi non minus quam patriae fidissimos cives habendi fuerint, nec ullus Vestrum dubi-

(5) D. 1 Febr. Sepultus d. 5 Febr.

bitaverit, nec dubitari posse credat. Atqui, ut taceam innumera quae de KEMPERO Jurisconsulto politico, Doctore politico, Civium delegato ad Concilium Ordinum Generalium, Regis Consiliario, dici possent, partim alibi a me (6), imprimis vero a PALMIO dicta, sed KEMPERO praesertim accepto ferenda videntur politicae doctrinae in hac primum Academia, et sic deinde in aliis, pomoeria longe prolata; — postquam meus Pater triginta jam annis antè, in Academiae Trajectinae magistratu deponendo, in mediis turbarum civilium fluctibus et procellis, ipse pro rei publicae statu domoque Arausiacâ tuendâ statum subinde suum vitamque periclitans (7), graviter dixerat, *de verâ Politicâ, eâque in Academiis discendâ:* remedium potius turbarum civilium, patriaeque afflictae solatium ex plenâ rectâque et liberâ, sed castâ prudentique doctrinâ politicâ docens arcessendum. —

Ad illa me confero quae in decretis honoribus hoc die solenniter conferendis mearum sunt partium. Et sane si quid est, quod talium virorum desiderium amissorumque dolorem et paulum [illegible] lenire consolarique possit, hoc totum ponimus in Vobis, ingenui juvenes, Musarum Palladisque alumni, Themidique et patriae Belgicae consecrata pectora. Spes fuerit illa, certaque persuasio, plerosque Vestrum inveniri, qui talia doctrinae vitaeque exempla intuentes et ardore praeclaro in iisdem imitandis enisi, Vos dignos non tantum patriae cives, sed talium virorum aemulos et successores sitis praestituri.

Praesagium autem pignusque spei fideique meae sunt illi duo Vestrum, quos inde ab ineunte aetate studiis moribusque aeque probatos et Academicis quidem studiis plus quam septennii cursu diligenter et accurate perac-

(6) Primâ mearum hujus anni academici lectionum dixeram *de* KEMPERO *JCto Politico.*

(7) D. 25 Mart. 1784. (Conf. additio mea ad vers. Belg. SCHLÖZERI, *Theorie der Statist.* p. 162, 163.)

actis, praeviis omnibus examinibus praeclare satisfacientes, Candidatûs in jure gradu ante quinquennium fere, proximo ante promotionem gradu jam ante triennium obtento, nunc, Saecularibus Academiae concelebrandis, cupientes et merentes, summis in arte nostrâ honoribus doctoratuque Juris Romani et Hodierni *more majorum* ornandos, unanimis censuit Senatus.

Quorum alter, GERARDUS JOANNES DE MARTINI, honesto in hac ipsâ civitate loco natus, iisdem hisce diebus disputatione *de L. Annaeo Cornuto, Philosopho Stoïco* docte et eleganter scriptâ, et publice ac solenniter magnâ cum laude defensâ, gradum Doctoratûs summosque in Philosophiâ Theoreticâ et Literis Humanioribus honores obtinuit, doctoralemque togam, non ut reliqui Candidati, in signum decreti et mox complendi honoris, sed suo jure gerit. Juridicae dissertationis inauguralis argumentum sibi sumserat, quod et ad quotidianam utilitatem comparatum et ex intimo tamen Jure Romano et Hodierno erat explicandum, *de hereditate pluribus communi;* quam dissertationem sic elaboravit et publicè defendit, ut summos hosce honores lubentes ipsi decerneremus.

Nec minus lubentes meritoque eosdem decrevimus alteri ex facultate nostrâ Candidato, SEBALDO JANO EVERARDO RAU, *Lugduno-Batavo*, Professoris doctissimi, Oratoris facundissimi filio, qui materni generis nobilitatem, et paternae stirpis literatam nobilitatem fortasse non inferiorem, Patre, Avo, Proavo natus Professoribus, non titulo tantum sed reapse Clarissimis, Eruditissimis, haec igitur a majoribus accepta nomina decoraque dignè sustinet suisque virtutibus ornat. Hic honores Doctoratûs nostri amplioris, More Majorum conferendos sibi decerni meruit oblatâ nobis egregiâ Dissertatione *ad M. Tullii Ciceronis Orationem pro P. Quintio;* quam si Philologicae nostrae Classi tradere maluisset, non dubito quin et eam et se ad eosdem honores eidem facile probasset.

Utriusque hujus Candidati perpetuus ardor discendi, multiplex et accurata doc-

doctrina, mores prorsus inculpati, lacta constanter et apud Commilitones et apud Praeceptores fama, latissimum praeberent campum quo in eorum laudes exspatiarer. Sed, optimi juvenes! in praecipuis vestris decoribus et mihi et nobis omnibus censetur etiam ingenuus ille pudor utriusque vestrum et verecundia. Huic igitur ut parcam, et ab laudibus vestris Vobis coram hic palam praedicandis abstineo, et reliqua ad publicum hunc actum pertinentia quanta decenter fieri possit brevitate absolvam.

Id tamen non recusabitis, quin Doctoratûs jam insignibus ornandi, discipulorum ordine relicto, ad superiorem hanc cathedram ad me vocantem accedatis.

Salvete, cari discipuli! — Qui *Togâ* jam induti huc accedere meruistis. Quod ipsum *togae* nomen, quantam, in vobis inprimis Jurisconsultis, excitat constantis justitiae cum civili prudentiâ conjunctae Consultorum illorum Romanorum memoriam!

Quod igitur bonum, felix, faustumque esse velit Deus Ter Optimus Maximus! ex potestate huic Academiae olim per GUILIELMUM illum Primum Auraïcum tributâ, per dignum tanti nominis successorem GUILIELMUM PRIMUM Regem servatâ, auctoritate Rectoris Magnifici, et amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaeque Facultatis Juridicae decreto, ego Te *Gerardum Joannem de Martini*, Te, *Sebaldum Janum Everardum Rau*, *Lugduno-Batavos*, Juris Romani et Hodierni Doctores dico, creo, renuncio; do Vobis facultatem e superiore cathedrâ jura docendi et interpretandi, consulentibus de jure respondendi, caussas in foro agendi, quaeque jura atque decora Doctoribus Juris Romani et Hodierni rite creatis lege vel consuetudine concedi tribuique solent; in quorum fidem accipietis diplomata, majori Academiae sigillo munita et a SMALLENBURGIO, Viro Clarissimo, nunc Senatus Actuario subscripta.

Mac-

Macti estote virtute, Juris Romani et Hodierni Doctores! a me, quod ego in felicitatis meae parte pono, a me Praeceptore hactenus Vestro, primum hoc nomine compellandi! — Sed quamquam lubens ex disciplinâ meâ Vos dimisi, postrema tamen haec summaque mihi concedite, et eâdem quâ semper fuistis modestiâ ac docilitate accipite vitae artisque Vestrae rite instituendae exercendaeque praecepta, quae symbolis typisque his animos altius penetratura prudens involvit antiquitas.

Videtis *Corpus Juris Romani apertum.* — Turpe Jurisconsulto, sine lege loqui! Turpe civi, Doctori, causas oranti, jus in quo versatur, cujus peritiam profitetur, ignorare! — Hunc itaque librum, uberrimum juris ejusque prudentiae, nostrae quoque Belgarum, fontem perennem, porrò, quod huc usque fecistis, diligenter evolvite, nocturnâ diurnâque manu versate!

Videtis eundem *librum clausum.* — Scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem! Non semper legum Codex ad manus est; non semper lex in terminis (quae dicitur) invenitur; neque sufficiunt nuda frigidaque legum verba, sed interpretanda sunt. — Lecta igitur sunt meditanda; et ipsa juris, non tantum constituti, sed etiam constituendi principia mente animoque sunt tenenda, hinc depromenda et ad usum vitae et civitatis applicanda.

Accipitis indice dextrae manus digito *annulum aureum.* — Hunc antiquum nobilitatis, apud ipsos quoque Romanos Equestris ordinis insigne fuisse nostis. Hunc pronubum Themidos reveremini, sanctae severaeque Deae, cujus merito jam sacerdotes habemini! — Nec opus igitur, ut enarrem, quae de puro solidoque auri metallo, de circulari formâ praestantissimâ figurarum, de manu digitoque cui induitur annulus copiose possent explicari.

Pileum addo *Doctoralem.* — Doctoratûs, sed priscum eundem *Libertatis* insigne; quâ sine, quid est ipsa nobilitas, nisi servitium turpius. —

E

E scholis igitur dimissi, nec in magistrorum verba jurantes, in foro, in re publicâ versantes libertatem tuebimini vestram, et dum »gloriosae vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam et posteros defenditis" (8), non civium ardor prava jubentium, non vultus instantis tyranni Vos quatiet. —

Cumulus hisce insignibus accedit *aureum* hoc *numisma*, donum Nobilissimi Magistratus hujus urbis, quo promotionibus More Majorum celebrandis addendo, suum literarum amorem, suam erga tam strenuos earum cultores munificentiam, animum suum huic Academiae propensum ostendit. — Cujus rei ut ego Academiae nomine gratias ago, Vos etiam, non hoc tantum die, quo pretiosum hoc monile pectore gestatis, sed per omnem vitam gratum habebitis animum, et caram hanc urbem, quae Vos genuit et educavit, et jamjam discedentes tanto prosequitur honore.

Sic igitur Vos, Doctores rite creatos et ornatos, *datâ dextrâ* fideque; et velut amplexu fraterno in ordinem Doctorum publice et solenniter recipio. Vestram amicitiam flagito, Vobis meam, non nunc primum promitto aut ostendo, sed perpetuam fore spondeo.

Et jam, cunctis quae ad solennem *hunc* actum pertinent rite peractis, novos hos et insignes honores et meo nomine et Academiae, quin omnis hujus doctae splendidaeque coronae, sincere Vobis gratulor. — Faxit Deus, ut haec honorum in Vos collatio, ut omnis actus hujus diei, ut universa haec sacrorum Academiae semitertio-saecularium celebratio, Vobis Vestrisque, et huic Academiae, et huic Urbi, Patriaeque et Literis emolumento sit et ornamento!

DIXI.

(8) L. Advocati 14. C. *de Advoc. divers. judicior.*

ADNOTATIO.

Pag. 7. — *illius imperii absolute regnati, popularisque nostri regni Belgici* — Non possum, quin hic addam, quae mihi hoc loco versabantur ob oculos, in quae paulò ante fortè incideram, loca Scriptoris vetusti Angli, JO. FORTESCUE, Cancellarii Regis Angl. HENRICI VI, ex ejus libro *de Laudibus Legum Angliae;* quae simul indicant, quam antiqua sit in Anglorum animis, in principibusque ipsorum viris, et cara sanctaque *politici* sive liberalis imperii notio studiumque. Scripsit autem FORTESCUE circa an. 1460. — Paginas citavi editionis quae mihi nunc sola ad manum fuit, *Lond.* 1737 (priori titulo ejusdem Voluminis inscribitur *in the Savoy*, 1741) fol.

CAP. IX. *Pag.* 7.

„ Non potest Rex Angliae ad libitum suum leges mutare Regni sui; principatu namque nedum *Regali*, sed et *Politico*, ipse suo populo dominatur. Si regali tantum ipse praeesset eis, Leges Regni sui mutare ille posset, *Tallagia* quoque et caetera onera eis imponere ipsis inconsultis, quale Dominium denotant Leges Civiles, cum dicant,

„ *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem.*"

Sed longe aliter potest Rex politice imperans Genti suae, quia nec Leges ipse sine subditorum assensu mutare poterit, nec subjectum populum renitentem onerare impositionibus peregrinis; quare populus ejus libere fruetur bonis suis, Legibus, quas cupit regulatus, nec per Regem suum, aut quemvis alium depilatur: consimiliter tamen plaudit Populus, sub Rege regaliter tantum principante, dummodo ipse in Tyrannidem non labatur. De quali Rege dicit Philosophus, III. Politicorum. „ quod „ *melius est civitatem regi viro optimo, quam lege optima.*" Sed quia non semper con-

contingit praesidentem populo hujusmodi esse virum, *Sanctus* THOMAS in libro quem Regi Cypri scripsit, de *Regimine Principum*, optare censetur, regnum sic institui, ut Rex non libere valeat Populum Tyrannide gubernare, quod solum fit dum potestas regia lege Politicâ cohibetur: Gaude igitur, *Princeps optime*, talem esse legem Regni in quo Tu successurus es, quia et Tibi, et Populo, ipsa securitatem praestabit non minimam et solamen. Tali lege, ut dicit idem *Sanctus*, regulatum fuisset totum genus humanum, si in Paradiso Dei mandatum non praeteriisset: tali etiam lege regebatur Synagoga, [i. e. Populus Judaïcus] dum sub solo Deo Rege, qui eam in regnum peculiare adoptabat, illa militabat; sed demum ejus petitione, Rege homine sibi constituto, sub lege tantum Regali ipsa deinceps humiliata est."

CAP. XIV. *Pag.* 9.

„ Clarissime jam conspicio, quod non alio pacto Gens aliqua, proprio arbitrio, unquam se in regno corporavit, nisi ut per hoc se et sua, quorum dispendia formidabant, tutius quam antea possiderent; quasi (*l.* quali) proposito Gens hujusmodi fraudaretur, si exinde facultates eorum eripere possit Rex suus, quod antea facere ulli Hominum non licebat. Et adhuc gravius multo Populus talis laederetur, si deinde peregrinis legibus, etiam ipsis forsitan exosis, regerentur. Et maxime, si legibus illis eorum minoraretur substantia, pro cujus vitandâ jacturâ, ut pro suorum tutela corporum, ipsi se Regis imperio, arbitrio proprio submiserunt: non potuit revera potestas hujusmodi ab ipsis erupisse; et tamen si non ab ipsis, Rex hujusmodi super ipsos nullam obtineret potestatem. E regione, aliter esse concipio de regno, quod Regis solum auctoritate et potentiâ incorporatum est; quia non alio pacto Gens talis ei subjecta est, nisi ut ejus legibus, quae sunt illius placita, Gens ipsa, quae eodem placito Regnum ejus effecta est, obtemperaret et regeretur. — Neque, Cancellarie! a meâ hucusque memoriâ elapsum est, quod alias in tractatu de Naturâ Legis Naturae (*), ho-

(*) [Opusculum hoc, — diversum a F. tractatu *de Jure Regali et Politico*, in lucem edito Lond. 1714 et 1719, 8vo. — extat MS., certe extabat an. 1731, in Bibliothecis, etiam Publicis Angliae, laudibusque celebratur a Viris Doctis; Conf. *Catalogus Operum et librorum ab* JO. FORTESCUE *scriptorum*, in fine Praefationis Anglicae, versioni hujus operis de *Laud. Leg. Angl.* praemissae, pag. iv. optandumque censeo ut in lucem adhuc edatur.]

horum duorum Regum aequalem esse potentiam doctis rationibus ostendisti: dum Potestas, quâ eorum alter perperam agere liber est, libertate hujusmodi non augetur; ut posse languescere morive, potentia non est, sed propter privationes in adjecto, Impotentia potius denominandum. Quia, ut dicit BOËTIUS, „ Potentia non est nisi ad bonum"; quod posse male agere, ut potest Rex regaliter regnans, liberius quam Rex politice dominans populo suo, potius ejus potestatem minuit, quam augmentat. Nam sancti Spiritus, jam confirmati in gloriâ, qui peccare nequeunt, potentiores nobis sunt, qui ad omne facinus liberis gaudemus habenis."

CAP. XXXIV. *Pag.* 21.

„ Audisti namque superius, quomodo inter Leges Civiles praecipua sententia est, maxima sane regula, illa quae sic canit: „ *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem.*" Qualiter non sanciunt leges Angliae, dum nedum *Regaliter*, sed et *Politice* Rex ejusdem dominatur in Populum suum, quo ipse in coronatione suâ ad legis suae observantiam astringitur sacramento; quod Reges quidam Angliae aegre ferentes, putantes proinde se non libere dominari in Subditos, ut faciunt Reges regaliter tantum principantes, qui Lege Civili, et potissime praedictâ legis illius Maximâ regulant Plebem suam, quo ipsi ad eorum libitum Jura mutant. nova condunt. poenas infligunt et onera imponunt Subditis suis; propriis quoque arbitriis, contendentium, cum velint, dirimunt lites: quare moliti sunt ipsi Progenitores Tui, hoc jugum politicum abjicere, ut consimiliter et ipsi in subjectum Populum regaliter tantum dominari, sed potius debacchari queant; non attendentes, quod aequalis est utriusque Regis potentia, ut in praedicto Tractatu, *de Naturâ Legis Naturae* docetur, et quod non jugum, sed libertas est, politice regere Populum, securitas quoque maxima nedum Plebi, sed et ipsi Regi, allevatio etiam non minima solicitudinis suae."

Pag. 9. — *de* populo, *quem* plebem *vocant.* — Hallucinatum hac notionum confusione WAGENARIUM, *Vad. Hist.* T. VIII. p. 208, in WILKESII defensione Leycestrianâ sive incusatione OO. Holl. referendâ, recte monet KLUITIUS, *Hist. der Holl. Staatsreg.* T. II. p. 280, 281: sed ipse, in amplâ caeteroquin et accuratâ rerum Leycestrianarum relatione, quae totum illud Vol. II. implet, doctrinarum democratica-

rum

rum sui temporis horrore, credo (v. *pag.* 293, 320, rel.), hoc quidem loco in contrarium, non minorem errorem lapsus videtur, ad Civitatum Decuriones (*Vroedschappen*) referens vel torquens, quod populari suâ notione, qualem supra in FORTESCUO vidimus, et quali nititur omnis res publica Anglica, de Populo, s. Civibus-communiter (*de Gemeente*) graviter et nimis ex vero dixerat Politicus Anglus. — Multa hic possent addi de KLUITII hoc opere, ejusdemque altero, de Supremo OO. Holl. Imperio legitimo — de (E. LUZACII) doctrina in diatriba *Het Gedrag der Stadhoudersgezinden verdedigt*; ab Amstelodamensi Magistràtu, mortuo GUILIELMO IV spiritus illos suos mox recipiente, proscriptâ m. Majo 1754; — sed possunt etiam hic omitti. — Chaös autem erit omnis pristina patriae nostrae historia, donec aliquis, et rerum gestarum et politicae doctrinae gnarus, et a praejudicatis opinionibus et a timore vacuus et liber, tractandam eandem reformandamque sibi sumserit. Interim legendi relegendique sunt tractatus historico-politici, à praeclaris principibusque viris profecti, et Parti VI prioris, Parti II, III, IV alterius meae Collectionis, *Mnemosyne* dictae, inserti.

Pag. 13. — *quin fidem in nobis positam* — „Qu'ils (Que les Rois) soient plus con„fiants! leurs desseins n'en seront pas moins beaux: ils peuvent porter aussi loin „qu'ils le veulent l'amour et la vénération des peuples; il leur suffit d'être les meil„leurs, comme ils sont les premiers des hommes; il leur suffit de redescendre vers „eux, de les avoir pour amis et non plus pour esclaves" — graviter dicitur in scripto politico Gallico, his ipsis diebus multum meritòque celebrato, *Revue politique de l'Europe en* 1825, p. m. 20; in quo quis non Belga cum voluptate legat, quae de optimo Rege nostro praedicantur p. m. 46—48 (quo tamen loco sunt aliqua minus accuratè dicta). — De *Russiâ*, et Imperatore ALEXANDRO, *ibid.* p. m. 32. „De longtemps l'arbre de la liberté ne reprendra racine dans son empire; c'est une „terre qui n'est point défrichée" — *pag.* 33: „Il faut rendre hommage au caractère „de l'empereur Alexandre. On ne peut faire un usage plus modéré de la force et „d'un pouvoir qui peut tout; et quoique la philosophie ait avec justice retiré ses „applaudissemens à ce prince qui est passé dans les rangs du parti qui la combat, „il est juste aussi de reconnaître qu'il use avec une sagesse, digne d'admiration,

 „d'une

„ d'une toute-puissance dont la plûpart des rois ne manqueraient pas d'abuser. „ C'est le vrai caractère de la magnanimité; mais cette magnanimité est la vertu d'un „ seul homme, et l'homme a son terme." — Hic autem locus sponte me admonet illorum, quae de hoc Imperatore, humani generis tunc deliciis, memoriae prodidit excelsi ingenii foemina, Mad. DE STAEL-HOLSTEIN, in opere postumo, *Considérations sur la Revol. Franc.* T. III. *Chap.* 4. „ J'ai eu l'honneur de causer plusieurs „ fois avec l'empereur Alexandre, à Saint Pétersbourg et à Paris, au moment de ses „ revers, au moment de son triomphe. Également simple, également calme dans l'une „ et l'autre situation, son esprit fin, juste et sage ne s'est jamais démenti. Sa con„ versation n'a point de rapport avec ce qu'on appelle d'ordinaire une conversation „ officielle; nulle question insignifiante, nul embarras réciproque ne condamnent ceux „ qui l'approchent, à ces propos chinois, s'il est permis de s'exprimer ainsi, qui „ ressemblent plutôt à des révérences qu'à des paroles. L'amour de l'humanité in„ spire à l'empereur Alexandre le besoin de connoître le véritable sentiment des au„ tres, et de traiter, avec ceux qu'il en croit dignes, les grandes vues qui peuvent „ tendre aux progrès de l'ordre social. A sa première entrée à Paris, il s'est en„ tretenu avec des François de diverses opinions en homme qui peut se mesurer à „ découvert avec les autres hommes. Sa conduite à la guerre est aussi valeureuse „ qu'humaine, et de toutes les vies il n'y a que la sienne qu'il expose sans réflexion. „ L'on attend avec raison de lui qu'il se hâtera de faire à son pays tout le bien „ que les lumières de ce pays permettent. Mais, quoiqu'il maintienne encore une „ grande force armée, on auroit tort de le considérer en Europe comme un mo„ narque ambitieux. Ses opinions ont plus d'empire sur lui que ses passions; et „ ce n'est pas, ce me semble, à des conquêtes qu'il aspire; le gouvernement repré„ sentatif, la tolérance religieuse, l'amélioration de l'espèce humaine par la liberté et „ le Christianisme, ne sont pas à ses yeux des chimères. S'il accomplit ses des„ seins, la postérité lui décernera tous les honneurs du génie; mais si les circon„ stances dont il est entouré, si la difficulté de trouver des instrumens pour le se„ conder, ne lui permettent pas de réaliser ce qu'il souhaite, ceux qui l'auront connu „ sauront du moins qu'il avoit conçu de grandes pensées." — Similiter altero, non

mi-

minus memorando loco, d. T. III. *Chap.* 10: „ Certainement il seroit injuste de ne „ pas reconnoître que plusieurs souverains, en possession du pouvoir arbitraire, „ ont su en user avec sagesse; mais est-ce sur un hasard qu'il faut fonder le sort des „ nations? Je citerai à cette occasion un mot de l'empereur Alexandre, qui me pa- „ roît digne d'être consacré. J'eus l'honneur de le voir à Pétersbourg dans le mo- „ ment le plus remarquable de sa vie, lorsque les François s'avançoient sur Moscow, „ et qu'en refusant la paix que Napoléon lui offrit dès qu'il se crut vainqueur, „ Alexandre triomphoit de son ennemi plus habilement que ne l'ont fait depuis ses „ généraux. „ Vous n'ignorez pas, me dit l'empereur de Russie, que les paysans „ „ russes sont esclaves. Je fais ce que je peux pour améliorer leur sort graduelle- „ „ ment dans mes domaines; mais je rencontre ailleurs des obstacles que le repos „ „ de l'empire m'ordonne de ménager." — „ Sire, lui répondis-je, je sais que la „ „ Russie est maintenant heureuse, quoiqu'elle n'ait d'autre constitution que le ca- „ „ ractère personnel de Votre Majesté." — „ Quand le compliment que vous me „ „ faites auroit de la vérité, répondit l'empereur, *je ne serois jamais qu'un accident* „ „ *heureux*." — Je crois difficile que de plus belles paroles soient prononcées par un „ monarque dont la situation pourroit aveugler sur le sort des hommes. Non-seu- „ lement le pouvoir arbitraire livre les nations aux chances de l'hérédité; mais les „ rois les plus éclairés, s'ils sont absolus, ne sauroient, quand ils le voudroient, „ encourager dans leur nation la force et la dignité du caractère. Dieu et la loi „ peuvent seuls commander en maîtres à l'homme sans l'avilir."

DISSERTATIO JURIDICA

DE

FOEDERE MADRITANO.